

conditio diversificare posset amorem, quando supponit communicationem diversi ordinis, non ejusdem, sicut invenitur fide, et visione clara. Unde inanis est impugnatio Vazquez, quod communicatio respicit bonitatem relate ad nos, et sic erit amor concupiscentiæ, vel gratitudinis, non enim hic sumitur communicatio tamquam res volita ipsi amanti, sed ut conditio, vel ratio fundans amorem benevolentiae mutuae ipsi amato.

XVII. Ad secundum respondetur, quod si quid probaret, probaret naturam post peccatum remansisse cum eisdem viribus, quibus quando erat integra, et sic peccatum nullum vulnus inferret naturæ. Dicimus ergo in statu naturæ lapsæ illum actum diligendi Deum super omnia esse excedentem et improporcionatum libero arbitrio, non quantum ad indifferentiam libertati, sed quantum ad virtutem operandi, quia ut definit Concilium Tridentinum sessione VI, capite primo, liberum arbitrium per peccatum minime extinctum est viribus, licet attenuatum, et inclinatum. Quæ vires consistebant in illa perfecta subordinatione, qua inferiores vires sibi subiciebat: qua subiectione amissa non potest voluntas sola facere tantum opus, quod est diligere Deum super omnia efficaciter, et absolute, quia hoc virtualiter implet totam legem, dicente Apostolo: *Plenitudo legis est dilectio*. Cum autem diligere Deum super omnia sit efficaciter subicere Deo omnes actus et potentias nostras, non potest in illo statu liberum arbitrium per se solum subicere omnes potentias, quas sibi subjectas non habet sed rebelles, et ideo indiget gratia sanante, et juvante, atque adeo non solum in facultate naturali, sed etiam in libera verissimum est, quod non potest facultas infirma tam excellens opus

ut sana. Nec ratio libertatis ut sic dicit virtutem, et potestatem continendi alias potentias; hoc enim faciebat donum justitiæ originalis, sed solum dicit indifferentiam potentiæ respectu objecti, quæ quidem indifferentia, et libertas a coactione illæsa mansit post peccatum: sed virtus in continendo inferiores vires, et firmitate, ac rectitudine judicandi attenuata est. Et licet fomes maneat etiam post gratiam, tamen fortificatur virtus voluntatis contra fomitem, et habet auxilia superioris ordinis ad resistendum, et vincendum illum, quod non currit in statu peccati sine gratia.

XVIII. Ad tertium respondetur illam dilectionem naturalem Dei super omnia non pugnare cum statu peccati perfecte, et adæquate, et quoad effectus privativos peccati, sed solum inadæquate, et ex parte, scilicet quantum ad actualem conversionem et voluntatem peccandi: Effectus autem privativi, sicut offensæ, et injuriæ Dei, reatus poenæ æternæ, privatio gratiæ, seu indignitas ad illam, et ad omnia beneficia Dei gratuita, hæc non potest expellere dilectio illa naturalis, nec ultimo disponere ad justificationem. Sicut etiam attritio extra sacramentum avertit hominem a voluntate peccandi, nec tamen justificat: sic dilectio illa deponit voluntatem peccandi, et convertit actualiter ad Deum voluntatem, non tamen tollit effectus illos privativos, qui solum per gratiam Dei remittentem evacuari possunt. Nec ideo manet ille homo semijustificatus, sed simpliciter peccator privative, et quantum ad offensam et reatum, licet non habeat amplius voluntatem peccandi, sicut qui regem offendit, licet mutet voluntatem, nolitque amplius offendere, tamen reatus, et injuria non remittitur nisi gratia regis accedat. Tamen adverte, quod in

tali statu illa dilectio naturalis quantumcumque efficax non esset amicitia, sed benevolentia, quia esset voluntas hominis indigni non redamari a Deo. Et ideo illo reatu peccati stante, non esset actus amicitiae, sed benevolentiae super omnia.

XIX. Ad eaque objiciuntur contra secundam partem conclusionis, respondetur, in pura natura posse esse amicabilem, et gratuitam communicationem Dei ad hominem, non quidem in bonis propriis, et divini ordinis, sed in bonis naturalibus fortuitis, et contingentibus: quæ etiam si sint naturalis ordinis, non tamen sunt debita omni individuo, sed contingentia. Et quando dicit D. Thomas, quod: « Homo secundum sensibilem, et corporalem naturam non habet conversationem cum Deo, et Angelis, » loquitur de conversatione exteriori, quæ fit modo corpore inter homines; sic enim non est cum Deo; sed secundum spirituales mentes, ut ibi dicit. Et quando additur, quod dilectio illa naturalis est communis omnibus in illo statu, non tamen beneficia Dei gratuita, respondetur quod omnibus habentibus illam dilectionem aliquod beneficium Deus donaret, si quidem præmiaret illum actum proportionate ad talem statum. Denique ad illam causalem ex verbis Christi Domini: *Quia quæcumque audivi a Patre meo, etc.* respondetur, quod est causalis amicitiae perfectæ communicantis secreta, et bona propria, non imperfectæ, quæ salvatur in communicatione honorum exteriorum, quæ sunt indebita, quia contingentia, non quia supernaturalia. Reliqua autem, quæ ibi afferuntur procedunt de amicitia perfecta, et secundum statum, non de communiter dicta. Et patres similiter loquuntur communiter de illa perfecta, quia

pro hoc statu una amicitia non separatur ab alia.

ARTICULUS III.

Utrum charitas sit una secundum speciem atomam?

I. Quatuor sunt, quæ pugnare videntur contra unitatem atomam charitatis. Primo, ex parte ipsius objecti, quod est Deus, quia possunt diversa attributa amari, præscindendo unum ab alio. Sufficit autem ista distinctio, præcissiva attributorum ad distinguendas virtutes; ergo et amores. Nam per religionem attingitur divina majestas ut observabilis per cultum; a timore divina eminentia ut formidabilis; a spe divina omnipotentia ut auxilians; ergo et amor attingens unum attributum, vel personam, et non aliam distinguere potest. Secundo, ex parte regulationis distinguere potest charitas viæ et patriæ, quia una regulatur a visione clara, altera a fide; istæ autem regulationes sunt specie diversæ; ergo et amores regulati. Tertio, ex parte personarum quæ amantur, videntur Dei, et proximi charitas differre, et est argumentum difficile quod sæpe proponit D. Thomas. Nam honor, qui datur Deo, et qui datur proximo, fundat diversas virtutes patriæ, et duliæ; ergo diversus amor diversas charitates: et licet proximus ametur propter Deum, etiam sancti honorantur propter Deum, cujus servi sunt: et tamen quia habent diversas excellentias fundant diversas virtutes; ergo quia habent diversas bonitates, fundabunt diversas dilectiones.

II. Et urgetur amplius, quia amicitia variatur secundum diversas communicationes; non repugnat autem inter ipsos homines dari communicationem supernaturalem res-

picientem tantum dona creata supernaturalia; ergo poterit fundari amicitia supernaturalis respiciens bonum creatum supernaturale distincta ab illa, quæ respicit bonitatem increatum Dei. Quarto, ex parte actuum charitatis, qui sunt specie diversi, verbi gratia amor efficax, et inefficax Dei; dilectio Dei, et odium peccati; gaudium, et desiderium de Deo: ergo tales actus fundant diversa principia specie diversa: vel si in genere charitatis sunt ejusdem speciei, non evadimus difficultatem in sententia D. Thomæ, quod possint plura accidentia ejusdem speciei esse simul in eodem subjecto, ut si quis simul diligat et desideret Deum, et odio habeat peccatum.

III. Nihilominus asserendum est charitatem esse unam virtutem in specie atoma nec in plures dividi posse. Est communis theologorum, sententia et a D. Thoma asserta hic quæst. XXIII, art. v, quæ licet ex solutione difficultatum positarum clarius elucescet, nunc sufficiat rationem D. Thomæ quæ fundamentalis est, et contra omnes illos modos procedit, explicare. Sic ergo rationem D. Thomæ propono: Unitas specifica actus, vel habitus sumitur ab unitate formali objecti; sed formalis ratio specificans charitatem est una secundum speciem atomam in quocumque statu considerentur; ergo. Antecedens probatur: Amicitia respicit bonum ut communicativum sui, solum ergo potest variari vel ex parte finis, quod pertinet ad bonum quod respicitur, et intenditur in amico; vel ex parte communicativum. Ex parte finis, sicut videmus quod alia est amicitia utilis, alia delectabilis, alia honesti, quia vel intenditur in amico ratio commodi, vel voluptatis, vel honestatis. Ex parte communicationum, sicut alia est amicitia consanguineorum, alia civium, alia studentium, vel pere-

grinantium, etc. quæ numerat Aristoteles in octavo ethicorum. Charitatis autem amicitia ex utroque capite habet unitatem specificam; nam ex parte finis quocumque modo consideretur charitas habet eundem finem specificum, scilicet bonitas divina ut complacens ratione sui; nam in patria et in via eadem bonitas divina diligitur, et complacet; hic credita, ibi visa. Et similiter qui unam personam diligit, aut unum attributum præcindendo ab alio, eandem bonitatem, non solum specie, sed numero diligit, quia est eadem perfectio, et eodem modo assequibilis, et eodem modo attingibilis in ratione boni, licet aliter expressa uno conceptu, vel alio.

IV. Similiter amor supernaturalis erga proximum, vel est propter Deum, id est, in quantum proximus est aliquid Dei, et sic finis in eo intentus est bonitas divina: vel est propter virtutes, et bona supernaturalia creata quæ habet proximus, et sic intenditur honestas supernaturalis, quæ pertinet ad gratiam, in qua non diligitur homo in quantum homo, sed in quantum filius Dei, estque amicitia communis homini, et Angelo, et sic etiam intenditur divina bonitas, quia intenditur gratia, quæ est semen, et expressio quædam divinæ bonitatis. Et ex hoc probatur, quod non possunt differre charitates penes diversam communicationem amicabilem, quia si amicitia est supernaturalis debet fundari in communicatione supernaturali, quæ est per gratiam, et ordinatur ad eandem societatem, et convictum hominum, et Angelorum cum Deo, tamquam filii, et domestici cum patre: hæc autem communicatio est una secundum speciem, quia vita æterna, seu beatitudo, est una secundum speciem, sicut vita civilis, in qua fundatur amicitia civium est una; et communicatio

consanguineorum una. Quod autem proximi inter se possint habere communicationem secundum bona creata supernaturalia non obstat, quia hæc cum sit communicatio supernaturalis debet fundari in communicatione gratiæ, et actuum supernaturalium, et sic non est communicatio hominis ut homo, sed ut filius Dei: hæc autem communicatio non est alia quam ea, quæ communicatur Deus in gratia tamquam caput. Sicut eadem est communicatio civilis, qua cives communicant inter se, et qua communicant cum capite civitatis: et eadem est communicatio qua domestici communicant inter se, et cum patrefamilias, et solum distinguuntur tamquam partiales et inadæquatæ communicationes, quæ non variant, sed integrant eandem communicationem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

V. Ad primam ergo difficultatem pater Granados controversia, in de charitate, tractatu primo, dip. v, sect. II, existimat charitatem, quæ de facto habetur respicere bonitatem Dei ut comprehendit omnia attributa, quasi formalitates inadæquatas, quibus essentia divina perfecta est, non tamen repugnat de possibili dari diversos habitus charitatis, qui ferantur in diversa attributa cum præcisione repræsentata. Et hoc explicat distinguendo duplicem præcisionem, qua possunt proponi ista attributa: uno modo ita quod explicita, et præcisa ratio unius attributi sit occasio amandi, ratio tamen amata sit perfectio ipsius attributi secundum totum, quod in se habet implicite et explicite; et talis præcisio non sufficit ad distinguendos habitus charitatis, quia amando unum attributum amantur et reliqua im-

plicite: alio modo potest fieri præcisio taliter quod proponatur voluntati unum attributum secundum suam rationem explicitam, non solum ut occasio, sed ut ratio, et motivum diligendi illud præcise ut rem amatam; et tunc fundabit dilectionem distinctæ charitatis a dilectione alterius attributi, sicut modo Deus ut auctor naturæ, et ut auctor gratiæ fundat charitatem naturalem, et supernaturalem, et virtus spei respicit distinctum attributum a virtute charitatis et fidei. Et si posset dari visio unius attributi sine alio (ut plures existimant) distinctum lumen gloriæ esset, quo videretur unum attributum, et quo videretur aliud: sed de facto non dantur tales habitus charitatis, quia non est connaturale, nec conforme divinæ bonitati, ut sic dimidiate ametur, neque voluntati creatæ ut sic amet secundum istas præcisiones.

VI. Cæterum vehementer hallucinatus est iste auctor non distinguens inter amorem imperfectum et absolutum, qualis potest esse in concupiscentia, vel desiderio, et amorem amicitiae perfectum et efficacem. Sicut enim non possum sperare consecutionem unius attributi, ut præcisi ab alio, et consequenter neque fundare diversas virtutes spei, nisi forte admissa opinione, quod potest videri unum attributum sine alio, ita multo minus potest distinguere duplex amor amicitiae extendenti ad duplex attributum sub illa præcisione conceptum. Ratio meo videri convincens est, quia amor amicitiae essentialiter est ad personam, sed ad bonum totius suppositi, quod amatur ut amicus, non autem ad id, quod concipitur tamquam proprietas, vel formalitas, vel quasi pars totius suppositi: sicut in homine licet possimus amare oculos, vel manus, vel scientiam, aut